



ARGVMENTVM LIBRI SEQVENS,
PER BEATVM
RHENANVM.



OS primum fuerat solennis apud Carthagenenses, ut non modo mulieres, sed & uirgines uelarentur, deinde res arbitrio cuiusque permissa est. Quibus maior probitatis cura, ueterem cōsuetudinem ultro obseruabant, quam ceteri negligebant uel ut non praeceptam, uel ut suis moribus non conuenientem. Tertullianus cum cerneret quātum mali nasceretur ex hoc quod uirgines aperto capite starent in cōgregationibus Christianorum, non secus atque in choreis solent, quae maritum quærunt, docet hoc libro uirgines etiam esse uelandas: Quod quæ de uelandis mulieribus Paulus praecepit, etiam ad uirgines pertineant, quibus in mulierum ordinem transitus fit, non tam per concubitum, quàm per alia quæ mulieribus & uirginibus cōmuniter accidunt. Verisimile est etiam tum puellas aperto capite in congregationem uenire solitas, uolentibus sic parētibus, ut maritum ex Christianis inuenirent. At Tertullianus templum dei, domum precationis esse uult, non nundinationis puellaris.

Q. SEPTIMII FLORENTINIS
TERTULLIANI, DE VIRGINIBVS
VELANDIS LIBER.



ROPRIVM iam negociū passus meæ opinionis, Latine quoque ostēdam uirgines nostras uelari oportere, ex quo transitum ætatis suæ fecerint: Hoc exigere ueritatem, cui nemo præscribere potest, non spacium temporum, non patrocinia personarum, nō priuilegium regionum. Ex hijs enim ferè consuetudo initiū ab aliqua ignorantia uel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur, & ita aduersus ueritatem uindicatur. Sed dominus noster CHRISTVS ueritatem se non consuetudinem cognominauit. Si semper CHRISTVS, & prior omnibus: æque ueritas sempiterna & antiqua res. Viderint ergo quibus nouum est quod sibi uetus est. Hæreseis non tam nouitas quàm ueritas reuincit. Quodcūque aduersus ueritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam uetus consuetudo. Ceterum suo uitio quis quid ignorat. Quod autē ignoratur, fuit tam requirēdum, quàm recipiendum quod agnoscitur. Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis, credēdi scilicet in unicum deum omnipotentē,

Consuetudo.

P mundi